



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

18. Mortificatio luxuriæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

PASSUS XVIII.

Mortificatio Luxuriæ.

TEXTUS.

Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Rom. 8. v. 13.

Cognitio.

Luxuria est inordinatus appetitus venereorum. D. Thom. 2. 2. q. 259. Cujus actus mortificationis falce præcidendi sunt sequentes :

1. Cogitationes pravæ fovere; absque delectatione morosa.
2. Morosa in cogitationibus impuris delectatio.
3. Consensus simplex in opus luxuriosum.
4. Aspectus libidinosus.
5. Verborum impudicorum prolatio.
6. Oscula impudica.
7. Tactus & amplexus impudicus.
8. Ipsius operis turpis & nefandi consummatio.

9. Con-

9. Consuetudo operis luxuriosi : unde quædam quasi necessitas ex frequentatione oritur.

Consideratio Motivorum.

O justissime scelerum carnalium vindex Deus ! Si quis justitiæ tuæ rigorem , tam atrociter crimina hæc plectentem , consideret ; quis non toto corpore perhorrescat ?

I. Hoc enim scelus Pentapolim cum adjacente regione , igneo sulphure , evertit. Gen. 17. Sichem cum populo interemit. Isai. 34. Raptores Dinæ Her, & Onam percussit. Ibid. 38. Judæum libidinosum , & Madianitidem pugione confodit. Num. 15. Tribum Benjamin delevit. 1. Reg. 2. Filios Heli sacerdotis in bello prostravit. 2. Reg. 11. Amon interfecit , *Vriam occidit* , Ruben maledixit , Samsonem seduxit , Salomonem pervertit. O quis ad tam horrenda supplicia non metuat ? Quis ad vitii hujus dominatum ac tyrannidem non expavescat ?

II. Hoc namque vitium , omnem ætatem corrumpit , omnem sexum confundit , omnem ordinem solvit , omnem gradum pervertit : invadit enim senes & juvenes , mares & fœminas , prudentes & simplices , superiores & inferiores , atque etiam , pro dolor ! sacerdotes. Ut lamentatur Innocentius Papa de vilit. cond. hum. l. 2. c. 22. & 23.

& 23. III. O quis igitur non exclamet cum S. Hieronymo: *O ignis infernalis luxuria! Cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* Hieron. in epist.

Petitio.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiolorum nostrorum flammam extinguere, sensuum portas cautissimè custodire: summam in phantasiis, cogitationibus, desideriiis, affectibus, verbis, colloquiis, conversationibus, amicitiiis, & operibus puritatem sectari; ut vitii hujus tyrannidem evadere, & incendia superare valeamus; ne cum tot hominum millionibus, ob hoc vitium damnatis, flammis sempiternis exuramur.

Aspirationes.

I. *Omnis immunditia, ne nominetur in vobis.* Ad Ephes. c. 5. 3.

II. *Rex meus, exstingue in me desideria carnis, & accende ignem tui amoris.* S. August. Med. c. 1.

III. *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.*